

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Ingenium i  
cum fonte primo

Potest ingenium fortissimum ac beatissimum sub qualibet cute latere.

Potest ex deformi humilique corpusculo formosus animus ac magnus exire.

Non deformitate corporis fedatur animus, sed pulcritudine animi corpus ornatur.

Seneca epistola LXVII.

Inique enim se natura gessit et talem animum male conlocavit;  
aut fortasse voluit hoc ipsum nobis ostendere,  
posse ingenium fortissimum ac beatissimum sub qualibet cute latere.  
Vicit tamen omnia inpedimenta et ad cetera contemnenda a contemptu sui venit.  
Errare mihi visus est qui dixit gravior et pulchro veniens e corpore virtus.  
Non enim ullo honestamento eget: ipsa magnum sui decus est et corpus suum consecrat.  
Aliter certe Claranum nostrum coepi intueri: formosus mihi videtur et tam rectus corpore quam est animo.  
Potest ex casa vir magnus exire, potest et ex deformi humilique corpusculo formosus animus ac magnus.  
Quosdam itaque mihi videtur in hoc tales natura generare, ut adprobet virtutem omni loco nasci.  
Si posset per se nudos edere animos, fecisset; nunc quod amplius est facit:  
quosdam enim edit corporibus impeditos, sed nihilominus perrumpentis obstantia.  
Claranus mihi videtur in exemplar editus,  
ut scire possemus non deformitate corporis foedari animum, sed pulchritudine animi corpus ornari.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 66.1-4 (L. Reynolds ed., vol.1, p.181, ll.4-22).